

vens constructis machinis trajiciantur; arces & civitates ordinatè constructuntur, eademq; defenduntur & oppugnantur; peregrinantes terrà mariq; diriguntur, naves etiam in vastissimo pelago, ut à scopo proposito non devient, coërcentur & gubernantur; domus navesq; constructis ad eam rem idoneis spectulis è longinquo incenduntur. Per triangula quoq; opera fiunt, non vulgo tantum, sed doctis admiranda; dum rerum diversarum simulacra per medium conclave ambulare, sibiq; mutuas manus porrigere, tandemq; & inter se confingere ostenduntur, adeò ut demonum illusionibus similitima, etiam viros doctos & constantes non raro terruerint. Iisdem etiam Triangulis quietà ostenduntur accedere, recedere, ambulare, saltitare, volare; formosa apparent difformia, recta verò inversa, vel curva simpliciter aut multipliciter, plana autem jam concava, jam convexa. Hæc Romanus etiam. Ex quibus vel cæco apparet, quod olim Plato Academia foribus inscripsit: *ἰδεὶς ἀγωναίτητος εἰσίτω*: id aureum plane monitum quidem esse Philosophi, ad verioris & penitioris sapientiæ sectatores: in primis verò usurpari hodie posse de Trigonometria, ut quæ unica τῆς μαθησεως λαβὴ sit, eaq; genuina planè & germana. Ab arcendi enim meritò essent, qui hodie in divinæ Matheseos adyta irrumpere solent, sine accuratiore hujus partis Geometriæ cognitione, per decretum vel Platonicum: *ἰδεὶς ἀπειγωνομέτητ* & *εἰσίτω*; vel Xenocraticum, quo exesse juberentur, qui ab hac Matheseos ansâ minus instructi sunt. Sed sufficiant hæc, è quibus Lectori insignis Trigonometriæ usus, modò quis in clara luce nolit planè cœcutire, maximè perspicuus esse potest.

Triangulum est figura comprehensa tribus lateribus.

Pauciores enim quam duæ lineæ rectæ spacium in plano non concludunt. Unde meritò Triangulum Rectilinearum figurarum Prima dicitur. Nec obstat, quòd aut una linea circu-